SCRIPTORES RERUM

# GERMANICARUM

IN USUM SCHOLARUM

EX MONUMENTIS GERMANIAE
HISTORICIS RECUDI FECIT

GEORGIUS HEINRICUS PERTZ
SERENISSIMO BORUSSIAE REGI A CONSILIIS REGIMINIS INTIMIS
BIBLIOTHECAE REGIAE BEROLINENSI PRAEFECTUS.

---

## CNUTONIS REGIS GESTA.

---

HANNOVERAE,
IMPENSIS BIBLIOPOLII HAHNIANI
1865.

SCRIPTORES RERUM

# GERMANICARUM

IN USUM SCHOLARUM

EX MONUMENTIS GERMANIAE
HISTORICIS RECUDI FECIT

GEORGIUS HEINRICUS PERTZ
SERENISSIMO BORUSSIAE REGI A CONSILIIS REGIMINIS INTIMIS
BIBLIOTHECAE REGIAE BEROLINENSI PRAEFECTUS.

---

## CNUTONIS REGIS GESTA.

---

HANNOVERAE,
IMPENSIS BIBLIOPOLII HAHNIANI
1865.

# CNUTONIS REGIS GESTA

SIVE

# ENCOMIUM EMMAE REGINAE

AUCTORE

# MONACHO SANCTI BERTINI.

IN USUM SCHOLARUM

EX MONUMENTIS GERMANIAE
HISTORICIS RECUDI FECIT

GEORGIUS HEINRICUS PERTZ
SERENISSIMO BORUSSIAE REGI A CONSILIIS REGIMINIS INTIMIS
BIBLIOTHECAE REGIAE BEROLINENSI PRAEFECTUS.

---

HANNOVERAE,
IMPENSIS BIBLIOPOLII HAHNIANI
1865.

Compl. Lect
Harrass.
11-25-27
15545

# PRAEFATIO.

*Aevi Salici historiis addere placet librum nuper in itinere Britannico exscriptum, et cuius praecipue causa Scotiam adieram. Legeram siquidem in Repertorio bibliographico Londini a.* 1819 *a Wilhelmo Clarke in* 8° *edito p.* 257 *sqq. in bibliotheca Marchionis de Douglas et Clydesdale codicem haberi de Cnutonis Magni gestis, Emmae reginae dicatum et pictura illustrem; cuius evolvendi et in usus nostros convertendi copiam postquam intercedente gratiosissime Marchione Lansdownii nactus eram, a possessore libri Duce Hamiltonii et Brandoni invitatus ineunte mense Septembri a.* 1862 *Hamiltoniam adivi. Ubi insigni hospitalitate exceptus, libros bibliothecae splendidae manuscriptos per biduum lustravi, atque praecipuam operam in exscribendo codice historico de quo hic agitur posui. Est enim*

1) *membranaceus sexaginta sex foliorum in* 8° *saeculo duodecimo ineunte conscriptus,* Liber sancti Augustini Cantuariensis, *et manu eius temporis* Gesta Cnutonis M. *inscriptus. At libro evoluto et attentius perspecto, non modo idem apparuit opus quod Chesnius inter Historiae Normannorum Scriptores anno* 1619 *sub titulo* Encomium Emmae reginae *evulgavit, sed vere ipse codex cuius apographum Chesnius typis expressit, quemque exinde usque ad nostra tempora latuisse et maximum Francis haud secus ac Britannis*

*sui desiderium movisse constat. Chesnius codicem tunc temporis inter libros Roberti Cottoni fuisse tradit, sibique ab eo per Wilhelmum Camdenum et Fabricium de Petrisco exemplar manuscriptum transmissum. Textus et rasuras aliquot et correctiones manu saeculi XVII. exhibet, quarum illas fortasse monacho cuidam Cantuariensi tribuendas, has vero aut Cottono aut Camdeno inter exemplandum arrisisse crediderim. Codex textum exhibet in universum bonum, sed qui nonnunquam manum correctoris desiderat, et qualem ex autographo transscriptum fuisse aestimare licet. Haud pauca tamen editionum Chesnianae et Langebekianae loca mendosa ipso codice adhibito hic emendata esse, facile patebit. Ceterum Cottoni tempore membranula textui assuta extitisse videtur, cuius textus apud Chesnium habetur, hodie vero desideratur, ideoque inde, adhibito quoque codice altero recenti, editioni nostrae inserendus erat. — Primam paginam pictura explet Emmae reginae adstantibus filiis Hardacnuto et Eduardo in solio regio sedentis atque librum ab auctore monacho genu flectente sibi porrectum manu tenentis.*

*Editioni nostrae praeterea adhibui*

2) *Codicem bibliothecae imperialis Parisiensis. Est membranaceus in* 8° *vel folio minori, saeculo XV. exeunte parva littera exaratus, olim armis et inscriptione testibus clarissimi viri W. Cecil de Burghleye, postea bibliothecae Colbertinae et bibliothecae regiae Parisiensis, cuius inter Latinos hodie numero* 6235 *signatur. Continet excerpta quaedam historicorum Anglicorum, ibique foliis* 7—14 „Excerpta ex Gilda“ *occurrunt, quo titulo quaedam Gestorum Cnutonis pars tum transscripta tum leviter excerpta habetur, textu negligenter habito et vitiis pleno, qui tamen loco hodie in codice Hamiltoniano desiderato restituendo adhiberi potest. Lectio in universum ita corrupta, ut plerumque non nisi specimina eius annotationi criticae inferre visum fuerit; nominum ratio varia, rex in universum Chnuto scribitur. Quod re-*

*centiorum nonnulli partibus textus omissis momentum aliquod inesse opinati sunt, nulla ratione nititur, dum auctor aperte se Excerpta scribere profitetur. Quod unum animadvertendum censeo, sunt lineae excerpti ultimae, quibus patet, excerptorem ex secunda libri editione, hucusque ignota, hausisse; dum enim auctor libro suo primum in adventu Eduardi in Angliam, id est anno* 1041, *finem imposuit, Hardecnuto a.* 1042 *die* 8. *Iunii defuncto, denuo ultimis libri lineis erasis in eorum loco Eduardi successoris laudes substituit.*

*Libri scriptor se monachum Sancti Bertini et Sancti Audomari fuisse profitetur. Nomen eius latet; num ex Anglorum gente fuerit, nescimus. Anglos patrissantes aliquotiens scribit, quod tamen hic trahi nequit. Cnutonem regem anno* 1026 *Romam pergentem in monasterio suo eleemosynas et magnifica dona spargentem vidit, illique et Emmae reginae, cuius servum se vocat cuique exuli adhaesisse videtur, intime deditus, ipsa postulante opus in laudem eorum conscripsit. Quo quidem haud pauca scitu digna exposuit, alia tamen reticuit aut tam succincte retulit, ut titulum a Chesnio primo editore ei impositum,* encomium Emmae, *non summo iure inditum esse nemo asseveraverit. Nolui tamen vel alterum reticere, ab antiqua Cantuariensis monachi manu codici inscriptum, quum Cnutonis gesta praecipuam saltem operis partem occupent. Emma, Richardi ducis Normanniae filia, primis nuptiis Ethelredo II. Anglorum regi iuncta filios Aelfredum et Eduardum progenuerat; quod nemo facile suspicaretur, qui eam virginem Cnutoni manus dedisse apud nostrum legerit. Quo modo et aliae res magni in historia nostra momenti aut silentio teguntur aut levi tantum digito tactae ante oculos ponuntur, postquam in prologo et argumento scriptorem iusto verbosiorem et turgidum experti fueramus. Quae quum ita sint, lectores nec Cnutonis nec Emmae ingenium et res gestas scripto nostro pleniter et iuste exponi sibi persuadebunt; quod*

*tamen non officit, quin locum ei inter saeculi XI. medii scriptores assignemus.*

*Editor primus Chesnius librum inter scriptores Normannicos proxime post Dudonis historiam constituit, cuius textum repetitum plurimisque annotationibus illustratum Langebekius tomo II. Scriptorum rerum Danicarum pag.* 472—503 *inseruit.*

# CNUTONIS REGIS GESTA SIVE ENCOMIUM EMMAE REGINAE AUCTORE MONACHO SANCTI BERTINI.

## INCIPIT PROLOGUS[a].

*Salus tibi sit a domino Iesu Christo, o regina, quae omnibus in hoc sexu positis prestas morum elegantia.*

*Ego servus tuus nobilitati tuae digna factis meis exhibere nequeo, quoque pacto verbis saltem illi placere possim nescio. Quod enim cuiuslibet peritiae loquentis de te virtus tua preminet, omnibus a quibus cognosceris ipso solis iubare clarius lucet. Te igitur erga me adeo bene meritam magnifacio, ut morti intrepidus occumberem, si in rem tibi provenire crederem. Qua ex re, mihi etiam ut precipis, memoriam rerum gestarum, rerum inquam tuo tuorumque honori attinentium, litteris meis posteritati mandare gestio; sed ad hoc faciendum me mihi sufficere posse dubito. Hoc enim in historia proprium exigitur, ut nullo erroris diverticulo a recto veritatis tramite declinetur; quoniam cum quis alicuius gesta scribens veritati falsa quaedam seu errando, sive ut sepe fit ornatus gratia, interserit, profecto unius tantum comperta admixtione mendatii, auditor facta velut infecta ducit. Unde historicis magnopere cavendum esse censeo, ne veritati quibusdam falso interpositis contra eundo, nomen etiam perdat quod videtur habere ex offitio. Res enim veritati, veritas quoque fidem facit rei[b]. Hec mecum aliaque huiusmodi me reputante, rubor animum vehementer excruciat, cum pariter considero,*

a) *prologus et argumentum desunt* 2. b) Res *usque* rei *iam desiderantur in* 1.

*quam pessime in talibus sese humana consuetudo habeat. Videns enim aliquis quempiam pro exprimenda rei veritate verbis indulgentem, vanae loquacitatis eum mordaciter redarguit, alium vero quem dixi blasphemium fugientem*[a] *et aequo modestiorem in narratione, cum operta denudare debeat, aperta oculuisse dicit. Tali igitur angustia circumseptus*[b]*, ab invidentibus loquax dici timeo, si neglecta venustate dictaminis, historiam scripturus multiplici narratione usus fuero. Quoniam vero, quin scripturus sim, evadere me non posse video, unum horum quae proponam eligendum esse autumo, scilicet aut variis iudiciis hominum subiacere, aut de his quae mihi a te, domna regina, praecepta sunt, praecipientem negligendo conticescere*[c]*. Malo itaque a quibusdam de loquacitate redargui, quam veritatem maxime memorabilis rei per me omnibus occultari. Quocirca, quandoquidem iubentem dominam magni pendens, hanc mihi elegi viam, excusabiles deinceps occasiones posthabens, hinc narrationis contextionem faciam.*

EXPLICIT PROLOGUS.

INCIPIT ARGUMENTUM[d].

Fortasse, ô lector, ambiges, meque scriptorem erroris aut inscitiae redargues, cur in huius libelli capite actus laudesque Sueini strenuissimi[e] regis promulgaverim, cum in suprascripta epistola ipsum codicellum laudi huius dominae me spoponderim facturum. Quod ita esse ipse fatebere, meque ab eius laudibus nusquam accipies deviare, si prima mediis, atque si extima sagaci more conferas primis. Atque ut ad hoc intuendum nulla erroris impediaris nebula, a similibus atque a penitus veris hoc tibi habeas theoréma. Aeneida, conscriptam a Virgilio,

a) fugentem 1. b) circumceptus 1. c) conticessere 1. d) E. P. I. A. *desunt* 1. e) *ita codex; minime* serenissimi *ut editi.*

quis poterit infitiari ubique laudibus respondere Octoviani, cum pene nihil aut plane parum eius mentio videatur nominatim interseri? Animadverte igitur laudem suo generi asscriptam, ipsius decori claritudinis claritatisque in omnibus nobilitare gloriam. Quis autem hoc neget, laudibus reginae hunc per omnia respondere codicem, cum non modo ad eius gloriam scribatur, verum etiam eius maximam videatur obtinere partem? Id tibi si probabile non videtur, evidenti alterius rei inditio[a] approbetur. Nosti, quoniam ubicumque giraveris circulum, primo omnium procul dubio principium facies esse punctum, sicque rotato continuatim orbe reducetur circulus, quo reductu ad suum principium eius figurae continuetur ambitus. Simili igitur continuatione laus reginae claret in primis, in mediis viget, in ultimis invenitur, omnemque prorsus codicis summam complectitur. Quod esse, mecum sentiens sic collige. Sueinus rex Danorum virtute armis quoque pollens et consilio, Anglicum regnum vi suo subiugavit imperio, moriensque eiusdem regni Cnutonem filium successorem esse constituit. Hic postmodum eisdem Anglis contra se sentientibus, atque acriter vim inferenti vi quoque repugnantibus, multa confecit bella; et fortasse vix aut numquam bellandi adesset finis, nisi tandem huius nobilissimae reginae iugali copula potiretur, favente gratia Salvatoris. Vivens adhuc, de eadem regina suscepto filio, Hardecnut scilicet, quicquid suae parebat ditioni tradidit. Qui defuncto patre Anglicis absens erat, regnum siquidem Danorum procuraturus ierat; quae absentia imperii sui fines invadendi iniusto pervasori locum dedit, qui accepto regno fratrem regis nefandissima proditione interemit: sed divina ultio subsecuta impiumque percutiens, regnum cui debebatur restituit, quod[b] totum in textu planius liquebit. Hardecnut itaque recepto

a) inditium 1. b) quod — liquebit *desunt in editis.*

regno, maternis per omnia parens consiliis, divitiis ampliando regnum imperialiter optinuit; usus quin etiam egregia liberalitate[a], fratri, utpote decebat, suum regni decus atque divitias impertivit. His enim animadversis, o lector, vigilique immo etiam perspicaci oculo mentis perscrutato textu, intellige, huius libelli seriem per omnia reginae Emmae laudibus respondere[1].

EXPLICIT ARGUMENTUM.

## INCIPIT LIBER PRIMUS[b].

1.[c] Regem[d] Danorum, Sueinum inquam, veridica comperi relatione omnium sui temporis regum ferme fortunatissimum extitisse, adeo ut, quod raro contingi solet, principiis felicibus secundum Deum et seculum multo felicior responderet exitus. Hic [2]denique a nobilissimis[2], quod primum est inter homines[e], duxit originem, magnumque sibi decus secundum seculum peperit imperii, quod amministrabat, regimen. Tantam[3] deinde illi gratiam divina concessit virtus, ut etiam puerulus intimo affectu diligeretur ab omnibus, tantum patri proprio invisus, nulla hoc promerente pueruli culpa, sed sola turbante invidia. Qui factus iuvenis, in amore cotidie crescebat populi; unde magis magisque invidia augebatur patri, adeo ut eum a patria non iam clanculum sed palam vellet expellere, iurando asserens eum post se regnaturum non esse. Unde dolens exercitus relicto patre herebat filio, et eum defensabat sedulo.

a) libertate 1. b) I. L. P. *desunt* 1. c) *capitum divisionem institui, plurimum secutus codicem, qui tamen numeris caret.* d) *in* 2 *hic titulus superscriptus est.* Ex eodem Gilda in historia de Sueyno et Knuctone quam in gratiam scripsit ad reginam Emmam. e) parentibus *fortasse excidit.*

1) Haec omnia libro tertio explicantur. 2) Haroldus pater eius fuit. 3) cf. Adami librum II. c. 25.

Huius rei gratia congrediuntur in praelio; in quo vulneratus fugatusque pater, ad Sclavos fugit, et non multo post ibi obiit[4], et Suein eius solium quiete tenuit. Quam strenue vero prudenterque in- 985 c.
terim secularia disposuerit negotia, paucis libet ad memoriam reducere, quatinus his interpositis facilius sit gradatim per haec ad subsequentia descendere. Denique cum nullo hostium incursu trepidus, pacem in securitate ageret, periculi semper ac velut instantis metuens, in castris muniebat[a], quod hostibus si adessent nullatenus fortasse resisteret, nihilque suis quae bello necessaria forent praeparando patiebatur remissi, scilicet ne per otium, ut assolet, viriles emollirentur animi. Nullum tamen adeo difficile invenire poterat negotium, ad quod invitos inpulisset milites, quos multa liberali munificentia sibi fecerat obnoxios et fideles. Atque ut scias, quantus suorum fuerit[b] in precordiis, pro certo affirmare valeam, quod nullus formidine mortis periculum refugeret, eiusque pro fidelitate hostibus innumeris solus, armatis etiam manibus nudis inperterritus occurreret, si euntibus tantum regale premonstraretur signum. At ne me credat aliquis hec falsa fingendo alicuius amoris gratia compilare; recte animadvertenti in subsequentibus patebit, utrum vera dixerim, an minime. Omnibus enim liquet procul dubio, quoniam humanitatis ita sese habeat consuetudo, ut plerumque ex rebus prospere cedentibus[c] mentes quorumdam plus equo exagitet cogitationum aestus, atque ex nimia in ocio licentia aggrediuntur aliqui, quod vix cogitare nedum facere audent in adversitate positi.

a) *ita* 1. *Recenti manu* vivebat *ascripto, quod Chesnius in textu recepit, minime necesse est. Sensus est:* rex quidquid castrorum minus validum esse videbatur, muniebat. b) affectus *recenti manu additur in* 1. *Chesnius in textu recepit, plane inutile.* c) redeuntibus *edd.*

4) cf. Adami lib. II. c. 26.

1012. 2. Ita etiam prelibati regis militibus cum in compositae pacis diuturnitate cuncta cessissent prospere, firma sui pro benefactis domini fretis stabilitate, eadem ipsi agitanti placuit suadere, terram Anglicam invadendo sorte bellica imperii sui finibus adicere. *Turchil*[5], inquiunt, *princeps miliciae tuae, domine rex, licentia a te accepta abiit, ut fratrem suum inibi interfectum ulcisceretur, et magnam partem exercitus tui abducens vicisse se gaudet, et nunc meridianam partem provinciae victor obtinet, ac mavult ibi exul degens amicusque factus Anglorum, quos tua manu vicit, gloriari, quam exercitum reducens tibi subdi tibique victoriam ascribi. Et nunc fraudamur sociis et quadraginta puppibus, quas secum duxit onustas de Danorum bellatoribus primis. Non tam grave dominus noster patiatur dispendium, sed abiens cupientem ducat exercitum, et illi Turchil contumacem adquiremus cum suis satellitibus, eis quoque federatos Anglos cum omnibus eorum possessionibus. Scimus enim diu eos non posse resistere, quia nostrates viri ad nos transibunt facile. Quod si eos velle contigerit, rex duci suo Danisque parcens, eos honoribus ampliabit. Si autem noluerint, quem despexere sentient; hac illaque patria privati, inter primos hostes regis penas luent.*

3. Huius rei adhortationem rex ubi audiit, primum secum mirari non mediocriter coepit, quia quod ipsi[a] diu dissimulanti celantique in mentem venerat, itidem militibus cogitationem eius ignorantibus animo sederat. Accersito itaque Cnutone filio suo maiore, quid sibi super hoc negotii videretur, orsus est inquirere. Inquisitus autem ille a patre, metuens ne redargueretur, si placito contra iret, tegna socordiae,

a) *ita* 1.

5) Turchil ex sorore Sueini et Styrbiörno filio Olavi Sueciae regis prognatus, Astrithe Sueini filia Cnutonis sorore ducta Ulf comitem genuit, cuius filius Suend Estrithson annis 1047—1076 Daniam rexit.

non tantum terram adeundam esse approbabat, verum etiam instigat hortaturque ne mora ulla inceptum detineat. Ergo rex consultu optimatum firmatus, militumque benivolentia fisus, classem numerosam iussit parari, et universam militiam Danorum undique moneri ut statuto die armata adesset, et regis sententiam audiens quaeque imperarentur devotissime expleret. Cursores mox provintiae ex iussu domini sui cunctam pergirant regionem, quietam quoque commonefaciunt gentem, ne quis ex tanto exercitu deesset, quin omnis bellator terrae aut iram regis incurreret, aut iussioni eius advolaret. Quid ergo? Absque contradictione adunantur, instructique armis bellicis gregatim regi suo praesentantur, ostentantes se paratos ad periculum et ad mortem, si tantum domini sui queant perficere voluntatem. Rex autem videns populum innumerabilem, voce preconaria iussit suam patefieri voluntatem, se velle scilicet classem adversum Anglos armare ditionique suae omnem hanc patriam ferro dolisve subicere. Quod ubi omnibus visum esset laudabile, elegit primum qui regnum suum deberent custodire, ne dum alienum incaute appeteret, illud quod securus tenebat amitteret, et intentus in utroque neutri imperaret. Habebat enim filios duos bonae indolis, ex quibus primogenitum suo iunxit comitatui, natu vero minorem prefecit universi regni dominatui, adiuncta ei copia militari paucisque primatum, qui puerulum sagaciter instituerent, et qui huic consiliis armisque pro muro essent.

4. Omnibus ergo rite dispositis, recensuit comites expeditionis, relictoque minore filio sua[a] in sede, adiit navigium vallatus armato milite. Nec mora concurritur undique ad litora, circumfertur passim armorum seges multigena. Aggregati tandem, turritas ascendunt puppes, aeratis rostris duces

a) *ita* 1.

singulos videntibus discriminantes. Hinc enim erat cernere leones auro fusiles in puppibus, hinc autem volucres in summis malis venientes austros suis signantes versibus, aut dracones varios minantes incendia de naribus. Illinc homines de solido auro argentove rutilos, vivis quodammodo non inpares, atque illinc tauros erectis sursum collis protensisque cruribus mugitus cursusque viventium simulantes. Videres quoque delphinos electro fusos, veterumque rememorantes fabulam de eodem metallo centauros. Eiusdem preterea celaturae multa tibi dicerem insignia, si non monstrorum quae sculpta inerant me laterent nomina. Sed quid nunc tibi latera carinarum memorem, non modo ornatitiis depicta coloribus, verum etiam aureis argenteisque aspera signis. Regia quoque puppis tanto pulcritudine sui ceteris prestabat, quanto rex suae dignitatis honore milites antecedebat; de qua melius est ut sileam, quam pro magnitudine sui pauca dicam. Tali itaque freti classe, dato signo repente gaudentes abeunt, atque uti iussi erant, pars ante, pars retro, equatis tamen rostris, regiae puppi se circumferunt. Hic videres crebris tonsis verberata late spumare cerula, metallique repercussum fulgore solem duplices radios extendere in aera. Quid plura? Tandem quo intendebant animi appropiabant finibus, cum[a] finitimos mari patrienses eius rei sinister commovit nuntius. Nec mora, quo regia classis anchoras fixit, incolae eius loci concurrunt ad portum[6], potentiori se frustra parati defendere intrandi aditum. Denique relictis navibus regii milites ad terram exeunt, et pedestri pugnae intrepidi sese accingunt. Hostes primo duriter contra resistentes dimicant, postea vero periculi formidine versi in fugam, sauciandi occidendique copiam persequentibus praestant. Ita rex ex affectu primo prelio usus, adiacentem regionem invadit fusis fugatis

a) cum — valebit *adsunt et in* 2. 6) Sandwich.

que hostibus. Tunc tali successu factus audentior ad naves redit, et reliquos portus, qui plures eam terram cingunt, eadem ratione invadit. Postremo universam patriam tanto labore perdomuit, ut si quis omnem historiam eius ad plenum percurrere velit, non modicum auditores fatigabit, et sibimet iniurius erit, dum ut voluit omnia perstringere minime valebit[a].

5. At[b] ego hec alteri narranda relinquens, tangendo transire percupio; et ad alia festinando stilum adplicabo ad Sueini obitum, ut festivi regis Cnutonis regni elucidare queam exordium. Namque ubi iam sepedictus rex tota Anglorum patria est intro- 1014.
nizatus, et ubi iam pene illi nemo restitit, pauco supervixit tempore, sed tamen illud tantillum gloriose. Presciens igitur dissolutionem sui corporis imminere, filium suum Cnutonem quem secum habuit advocat, sese viam universae carnis ingrediendum indicat. Cui dum multa de regni gubernaculo multaque hortaretur de christianitatis studio, Deo gratias, illi virorum dignissimo sceptrum commisit regale. Huius rei facto maxime Dani quibus legitime preesse debuit favent, eumque patre adhuc vivente regem super se constitui gaudent. Hoc ita facto, pater orat filium, ut si quando nativitatis suae rediret ad terram, corpus paternum reportaret secum, neve pateretur se aligenigenam[c] in externis tumulari terris; noverat enim, quia pro invasione regni illis exosus erat populis. Nec multo post postrema naturae persolvit debita, animam remittendo caelestibus, Febr. 2.
terrae autem reddendo membra.

EXPLICIT LIBER PRIMUS[d].

a) cum — valebit *adsunt et in* 2. b) At — Itaque *desunt* 2.
c) *i. e.* alienigenam. d) I. 1.

## INCIPIT SECUNDUS.

1. Mortuo patre Cnuto regni parat retinere sceptrum; sed ad hoc minime sufficere potuit deficiente copia fidelium. Angli siquidem memores quod pater eius iniuste suos invasisset fines, ad expellendum eum, utpote qui iuvenis erat, omnes[a] regni pariter collegerunt vires. Quo comperto, rex clam per fideles amicos reperto honoris sui consilio, classim sibi preparari iubet, non quod asperos eventus belli metuendo fugeret, sed ut fratrem suum Haroldum, regem scilicet Danorum, super tali negotio consuleret. Paterna itaque classe repetita instauratoque remige, ventis marique regalia commisit carbasa, sed tamen non omnem militiam secum reduxit, quae cum patre suo secumque patriam introivit. Nam Thurkil, quem principem militie prediximus, terra quod esset optima inspecta, maluit conversari in tam[b] fertili patria, cum patriensibus[7] pace confecta, quam velut expulsus demum redire ad propria. Et ut quidam aiunt, hoc non fecit despiciendo dominum, sed uti, cum resumptis viribus fratrisque auxilio repedaret ad debellandum regnum, is[c] aut optimates regni consilio suo ad deditionem flecteret, aut si id parum processisset, dimicantes contra dominum suum hostes incautos a tergo cederet. Cuius rei patet veritas ex eo, quod secum maximam partem militum retinuit, quodque rex non amplius quam sexaginta[d] naves secum abire permisit.

2. Prospero itaque cursu rex natales ad fines delatus[e], cum mirarentur omnes solitarium reditum eius, quantum ad regem, patri antea fideles, Haroldi regis subito complevit volitans fama palatia, fratrem eius maiorem, Cnutonem scilicet, sua advenisse litora. Miratur rex omnisque pariter exercitus, atque adhuc

a) omnis *corr.* omnes 1; omnis *Ch. et* 2. b) conversari vitam *male Ch. L.* c) *deest in editis.* d) *in loco raso alio atramento* 1. e) *haec vel alia eiusmodi vox excidit in c.* 7) i. e. Anglis.

nescii duros ipsius presagibant casus. Igitur a latere regis milites diriguntur delecti, paratique in occursum transmittuntur equi. Fraternus siquidem amor fratris eum monebat[a] inservire decori. Cumque tandem honorifice, utpote regem decet, fraterna subintraret limina, frater ipse in primo aditu occurrit, mutuoque brachiorum conexione pressis corporibus, sibi invicem pia quam saepe defigunt oscula. Collum utriusque partim pro amore partimque pro patris morte fusae madefecere lacrimae; quibus vix extinctis, mutuo refocillantur affamine. Ubi dum quisque fortunam fratris inquireret, propriam quoque patefaceret, Cnuto, qui natu maior fuerat, sic Haroldum fratrem alloquitur: *Adveni, frater, partim causa tui amoris, partim vero ut declinarem inprovisam temeritatem barbarici furoris, non tamen metuens bellorum quae meae repetam gloriae, sed ut tuo consultu edoctus presidioque suffultus redeam certus victoriae. Est autem primum quod mihi facies, si non gloriae meae invides, ut dividas mecum regnum Danorum, meam scilicet hereditatem quam solus tenes, deinde regnum Anglorum si communi opera poterimus nostrae hereditati adicere: unum horum, quodcumque elegeris, feliciter teneto, et ego aliud similiter tenebo. Huius rei gratia tecum hiemabo, ut tempus tuo sufficiat consilio, et ut expedit reparentur naves et exercitus, ne deficiant necessaria, dum pugnae ingruerit tempus. Thurkil noster nos relinquendo, ut patrem, in terra resedit, et magnam partem navium nostrarum retinuit, et ut reor nobis adversarius erit, sed tamen non prevalebit.*

Haroldus rex[b] audito quod noluit[c], his fratrem verbis excepit: *Gaudeo, frater, de tuo adventu, habeoque gratias tibi quod me visitasti, sed est grave auditu quod loqueris de divisione regni. Hereditatem quam mihi pater te laudante tradidit, guberno, tu vero hac*

a) mouebat *Ch.* b) dux 2. c) uoluit 2.

*maiorem si amisisti doleo, teque iuvare paratus, regnum meum partiri non sustinebo.*

Hoc Cnuto audiens fratremque recte loquutum tacite perpendens: *Hoc tempore de hoc sileamus,* inquit, *Deus enim rectius fortasse hoc solus ordinabit.* Talibus aliisque diversis sermonibus colloquentes conviviisque regalibus convivantes, aliquanto tempore simul[a] manserunt, et naves meliorantes exercitum restauraverunt. Pariter vero Sclavoniam[b] adierunt, et matrem suam[8], quae illuc[c] morabatur, reduxerunt.

1015. 3. *Translatio corporis Sueini in Danomarchiam.* Interea quaedam matronarum Anglicarum navim sibi fecit parari, et assumpto corpore Sueini regis sua in patria sepulti, illoque aromatibus condito palliisque velato, mare adiit, et prospero cursu appulsa ad portus Danorum pervenit. Mittens ergo utrisque fratribus nuntium, mandat corpus adesse paternum, ut hoc maturent suscipere, tumuloque quod sibi paraverat[d] locare. Illi hilares adsunt, honorifice corpus suscipiunt, honorificentiusque illud in monasterio[8*] in honore sanctae Trinitatis ab eodem rege constructo, in sepulchro quod sibi paraverat, recondunt.

Quo perfecto iamque appropiante sole aestivo, accelerat Cnuto redintegrato exercitu redire suasque iniurias vindicare. At illi circa litora deambulanti subito apparescunt carbasa non multa in medio mari. Nam Thurkil memor quod Sueino fecerat, et quod tunc in terra[e] absque licentia domini sui Cnutonis inconsulte remanserat, cum novem navibus earumque exercitu dominum suum requisivit, ut ei patefaceret, quia non contra eius salutem se recedente

a) *in marg. additum.* b) Astloniam 2. c) illic *edd.* d) praeparaverat *edd.* e) t. Anglica 2.

8) Miseconis Polonorum ducis filiam. Thietm. 7, 28. SS. III, 848. 8*) Roskild.

remanserit. Qui veniens, non presumpsit litora in- 1015.
iussus subire, sed eiectis anchoris premissisque nunciis, poscit se portus subintrare licere. Quod ubi concessum est, ascendit misericordiamque domini sui quesivit, et illi multo labore conciliatus, dat fidei sacramentum, se illi deinceps fideliter serviturum. Cum quo mense plus integro moratur, et ut ad Anglos redeat hortatur, dicens eum leviter illos posse superare, quorum fines longe lateque notificarentur utrisque. Presertim, aiebat, se triginta naves in Anglorum patria cum exercitu fidissimo reliquisse, qui venientes susciperent honorifice, ducerentque per fines totius patriae.

4. Tunc rex valedicens matri et fratri, curvi litoris repetiit confinia, qua iam adunaverat ducentarum navium spetiosa spectacula. Nam hic erat tanta armorum copia, ut una earum navium, si omnibus reliquis defecissent, sufficeret habundantissime tela. Erant autem ibi scutorum tanta genera, ut crederes adesse omnium populorum agmina. Tantus[a] quoque decor inerat pupibus, ut intuentium hebetatis luminibus, flammeae magis quam igneae viderentur a longe aspicientibus. Si quando enim sol illis iubar inmiscuit radiorum, hinc resplenduit fulgur armorum, illinc vero flamma dependentium clipeorum. Ardebat aurum in rostris, fulgebat quoque argentum in variis navium figuris. Tantus siquidem classis erat apparatus, ut si quam gentem eius vellet expugnare dominus, naves tantum adversarios terrerent, priusquam earum bellatores pugnam ullam capescerent. Nam quis contrariorum leones auri fulgore terribiles, quis metallinos homines aureo fronte minaces, quis dracones obrizo ardentes, quis tauros radiantibus auro cornibus necem intentantes in puppibus aspiceret, et nullo metu regem tantae copiae formidaret? Praeterea in tanta

a) *quae sequuntur usque verba* equitantium pernicitates *desunt* 2.

1015. expeditione nullus inveniebatur servus, nullus ex servo libertus, nullus ignobilis, nullus senili aetate debilis; omnes enim erant nobiles, omnes plenae aetatis robore valentes, omnes cuivis pugnae satis habiles, omnes tantae velocitatis, ut despectui eis essent equitantium pernicitates.

Aug. Sept. 5. Talis[a] itaque milicies fastuosis scansis ratibus intrat pelagus solutis a litore anchoris et funibus, talique verrit impetu fluctus, ut alatis puppibus hanc super volare undas putares vix tanto mari rudentibus. Regalis autem navis reliquis erat honor et intentio, quia nulla aliis inerat optio, nisi tantum ut regis sui fasces ampliarent toto studio. Exspectabili itaque ordine flatu secundo Sanduich[b. 9], qui est omnium Anglorum portuum famosissimus, sunt appulsi, eiectisque anchoris, batulis[c. 9*] exploratores se dedunt litori, et citissime finitima tellure explorata, ad nota recurrunt navigia, regique edicunt, adesse resistentium parata milia. Patrienses enim regi Danisque ferventissime rebellare ardentes, quas sibi ad luctam sufficere credebant adunaverant phalanges, conglobatique et in unum conspirati advolitabant, dextris nobilium morituri[d].

6. Tunc[e] Turkil tempus intuens instare, quo fidelitatem suam domino suo valebat patefacere: *Ego* inquit *hoc certamen domino meo accurabo cum meis evincere, nec regem meum ad bellandum, utpote iuvenem ferventissimum, huic misceri patiar pugnae? Nam si victor fuero, regi ipsi triumphabo; si autem cecidero sive tergum dedero, non Anglis gloriae erit adeo, quia rex supererit, qui et proelium restaurabit[f] et fortasse victor meas iniurias vindicabit.* Hoc dictum cum sanae[f] mentis esse videretur omnibus, annuente

a) Tantus 2. b) Sandwyth 2. c) baculis *edd. male.* d) dextris nobilituri 2. e) T *vacat* 1. f) restaurabit et dicabit. Hoc dictum cum sane mentis et fortasse victor meas iniurias vindicabit. Hoc dictum cum sane 2.

9 Sandwich. 9*) i. e. batellis, cymbis.

rege ascendit cum suis e navibus, dirigens aciem 1015.
contra Anglorum inpetum, qui tunc in loco Scorastan
dicto[10] fuerat congregatus. Quadraginta denique na- 10
vium et eo amplius Danorum exercitus ascenderat,
sed adhuc hic numerus medietati hostium minime
par fuerat. At dux eorum, magis fisus virtute quam
multitudine, omnes rumpens morulas classica in-
sonuit, gradiens in prima fronte, et mente semper
Dei auxilium exorans, queque obvia metebat mucro-
nis acie. Angli vero in primis fortiores, dira cede
Danos obtruncarunt, in tantum ut paene victoriam
adepti adversarios fugere cogerent, si non ducis
alloquio retenti memoresque virtutis fugam erubesce-
rent. Namque memorabat ille abesse diffugium, in
terra scilicet hostes, et a litore longe remotas pu-
pes, ideoque si non vincerent, quod pariter occum-
bere deberent. Unde illi animosiores effecti, in
praelio ilico manifestant, quam periculosa sit de-
speratio. Enimvero de refugio fugae desperati, tanta
in hostes debachati sunt insania, ut non tantum mor-
tuorum aspiceres corpora cadentia, verum etiam
vivorum ictus declinantia. Tandem ergo potiti op-
tata victoria, suorum quae reperire poterant tumu-
labant membra. Ab adversariis[a] quoque diripien-
tes spolia revertuntur, et adiacentem regionem in-
vadendam accinguntur.

7. Hoc primum decus Turchil armis Cnutonis
auxit, et magnam partem patriae[11] pro hoc postmo-
dum promeruit. At tunc ad dominum regressus,
ei et sotiis suos indicat eventus, facitque eos spoliis
quae attulit ardentiores ad pugnam, manubiis letus
et palmae successibus. Quo exemplo Eric quidam,
dux et princeps provintiae quae Nordwega[b] dicitur,
incitatus — nam et his[c] Cnutonis regis intererat offi-
cialibus, iam diu illi subditus, vir armis strenuus,

a) adueriis 1. b) Northwigiam 2. c) *i. q.* is.

10) fortasse Sherston in Wiltonia. 11) Ostangliam scilicet.

1015. omni honorificentia dignus, — accepta licentia cum suis est egressus, et partem terrae aggressus spolia diripuit, vicos invadendo destruxit, occurrentes sibi hostes domuit, et multos ex eis captivavit, tandemque victoriosus ad socios cum spoliis redit. Quo
1016. reverso, rex parcens patriae prohibuit ultra eam predari; sed iussit civitatem Londoniam, metropolim terrae, obsidione teneri, quia in ea confugerant optimates et pars exercitus, et maximum, ut est populosissima [a], vulgus [12]. Et quia hoc pedites equitesque nequibant explere, undique enim mari quodammodo non pari vallatur [b] flumine, turritis pupibus eam coangustare fecit, et firmissima vallatione tenuit.

Deus itaque, qui omnes homines vult magis salvare quam perdere, intuens has gentes tanto periculo
Apr. 23. laborare [c], eum principem [13] qui interius civitati presidebat educens e corpore, iunxit quieti sempiternae, ut eo defuncto liber Cnutoni ingressus pateret, et utrique populo confecta pace paulisper respirare copia esset. Quod et factum est. Nam cives suo honorifice sepulto principe initoque salubri consilio, elegerunt [d] internuntios mittere et regi placita mandare, videlicet ut dexteram illis daret et civitatem pacifice susciperet. Hoc ut [e] Cnutoni satis videretur probabile facto, foedus firmatum est, ingressui eius die constituto. At pars interioris exercitus sprevere [f] statutum civium; latenterque nocte illa cuius sequenti die ingressus est rex, cum filio [14] defuncti principis egressi sunt civitatem, ut experirentur rursus collecta innumerabili manu, si forte a finibus suis valerent arcere ingressum regem. Nec quieverunt,

a) iuxta unum est ut pop. 2. b) vallantur *edd.* c) labore 1. d) sibi *addit* 2. e) ubi *Ch.*; viri 2. f) spernere 2.

12) cf. Thietmari Merseburgensis lib. 7. cap. 28. SS. T. III. p. 849. 13) Aethelredum II. regem, Emmae maritum. 14) Aedmundo rege.

quousque omnes paene[a] Anglos sibi magis adhuc 1016.
adclines quam Cnutoni conglobarent. Cnuto autem civitatem intravit, et in solio regni resedit. Sed tamen Londonienses non sibi adhuc esse fideles credidit; unde et navium stipendia illa aestate restaurare fecit, ne si forte exercitus adversariorum civitatem oppugnaret, ipse ab interioribus hostibus exterioribus traditus interiret. Quod cavens, rursus ad tempus ut prudens cessit, et ascensis ratibus ac civitate relicta, insulam Scepei[15] dictam cum 15
suis petiit, ibique hiemans pacifice eventum rei expectavit.

8. Aedmund itaque — sic enim iuvenis qui exercitum colligerat dictus est — recedente Cnutone, cum populo non mediocri sed innumerabili veniens, civitatem pompatice ingreditur, et mox eum universi sequuntur, obtemperant et favent, et virum fortem fieri suadent, dicentes quod eum magis quam Danorum principem eligerent. Erat quoque eius partis[b] comes primus Edricus, consiliis pollens sed tamen dolositate versipellis[c], quem sibi ad aurem posuerat Aedmund in omnibus[d] negotiis. Fertur autem ipse iuvenis illo tempore domino Cnutoni recedenti singularem pugnam obtulisse; sed rex sapiens dicitur sic respondisse: *Ego tempus luctae praestolabor congruae, dum non casum suspectus, certus fuero victoriae; tu vero, qui aves duellum in hieme, cave ne deficias etiam aptiori tempore.* Sic rex ut dictum est in Scepei, quod est dictum latine insula ovium, ut poterat hiemavit. Aedmund autem in Londonia, dimisso exercitu, ultimam hiemem duxit.

9. Recedente vero brumali tempore, tota quadragesima rursus militiam adunavit, et mox post pascales dies regem et Danos a finibus Anglorum

a) penae 1. b) partes *c.* c) versipell:::: *recenti manu correctum.* d) omni *c. rec. manu corr.* omnibus.

15) Shepey.

1016. deturbare paravit, et veniens cum innumerabili multitudine, eos subito cogitavit invadere. At sermo non latuit Danos, qui puppibus postpositis[a] petunt arida, aptantes se excipere quaeque obvia. Erat namque eis vexillum miri portenti, quod licet credam posse esse incredibile lectori, tamen, quia verum est, verae inseram lectioni. Enimvero dum esset simplissimo candidissimoque intextum serico, nulliusque[b] figurae in eo inserta esset imago[c], tempore belli semper in eo videbatur corvus ac si intextus, in victoria suorum quasi hians ore excutiensque alas, instabilisque[d] pedibus; et suis devictis quietissimus totoque corpore demissus. Quod requirens Turchil, auctor primi prelii: *Pugnemus* inquit *viriliter, sotii, nihil enim nobis erit periculi; hoc denique testatur instabilis corvus presagientis vexilli.* Quo audito Dani[e] audentiores effecti, ferratisque induviis
16 indurati, occurrunt Anglis in Aesceneduno[f. 16] loco, quod nos Latini montem fraxinorum possumus interpretari. Ibique nondum congressione facta, Edric, quem primum comitum Aedmundi diximus, hec suis intulit affamina: *Fugiamus, o sotii, vitamque subtrahamus morti imminenti, alioquin occumbemus ilico; Danorum enim duritiam nosco*[g]. Et velato vexillo quod dextra gestabat, dans tergum hostibus magnam partem militum bello fraudabat[h]. Et ut quidam aiunt, hoc non causa egit timoris sed dolositatis, ut postea claruit; quia hoc eum clam Danis promisisse, nescio quo pro beneficio, assertio multorum dicit. Tunc Aedmund hoc intuitus et undique angustiatus: *O Angli,* inquit, *aut hodie bellabitis, aut omnes*[i] *una in deditionem ibitis. Pugnate ergo pro libertate et patria, viri cordati; hi quippe qui fugiunt, utpote formidolosi,*

a) posthabitis 2. *Ch.* b) nullius *Ch.* c) mago 1. d) in corvus presagientis vexilli et suis 2. e) equi *Ch. L.* f) Kekesdume 2. g) nasco 1. h) fraudebat 1. i) omnis *Ch.*

16) Assingdon in Essex.

*si non abirent, essent impedimento exercitui.* Et haec 1016.
dicens in medios ingreditur hostes, circumquaque caedens Danos, nobiles hoc exemplo suos reddens ad bellandum proniores.

10. Commissum est ergo prelium pedestre gravissimum, dum Dani, licet pauciores, nescii cedere magis eligerent internetionem quam fugae periculum. Resistunt itaque viriliter, et prelium hora diei nona ceptum ducunt in vesperam, se gladiis haud sponte opponentes, sed gladiorum aculeis voluntarius [a] alios urgentes. Cadunt utriusque partis armati, plus tamen eius quae erat numero eminentiori. At ubi iam advesperante noctis adessent tempora, vincit amor victoriae tenebrarum incommoda, quia neque horrebant tenebras instante cura maiore, neque etiam nocti dignabantur cedere, in hostem tantum dum ardebant prevalere. Et nisi luna clarescens ipsum monstraret hostem, cederet quisque suum commilitonem, ut inimicum resistentem, nullusque utriusque partis superviveret nisi quem fuga salvasset. Interea ceperunt Angli fatigari paulatimque fugam meditari, dum intuentur Danos in hoc conspiratos, quatenus aut vincerent aut usque ad unum omnes una perirent. Videbantur enim eis tunc numerosiores et in tam diutina conflictatione [b] fortiores. Fortiores namque eos estimabant vera suspitione, quia iam stimulis ferri commoniti casuque suorum turbati, magis videbantur sevire quam bellare. Unde Angli terga vertentes, hac et illac fugitant absque mora, semper ante adversarios [c] cadentes, adduntque decus honori [d] Cnutonis et victoriae, decorato Aedmundo fugiente principe. Qui [e] licet devictus valentioribus cedens recederet, tamen adhuc non penitus desperans, tutis se commisit locis, ut demum fortiori multitudine collecta iterum experiretur,

a) *i. e.* magis voluntarie. b) conflectatione 1. c) aduersarium *edd.* d) *deest in edd.* e) *hinc alia manus* 1.

1016. si quid forte sibi boni succedere posset. At Dani fugientes non longe sunt persecuti, quia incogniti locorum noctis obscuritate sunt retenti. Angli vero loci non inscii, cito a manibus hostium sunt elapsi, eos relinquentes ad spolia, seseque dantes ad inhonesta refugia.

11. Tunc victores sua leti victoria, transacta iam nocte plus media, pernoctant quod supererat inter mortuorum cadavera. Non autem in nocte spolia dirimunt, sed interim suos requirunt, seseque adunantes ut securiores esse possent, simul omnes uno in loco persisterunt[a]. Inlucescente vero iam mane, suorum agnoscunt multos in prelio cecidisse, quorum cadavera ut poterant tumulavere. Ab adversariorum quoque membris abradunt spolia, bestiis et avibus eorum relinquentes morticinia, et ad naves redeuntes Londoniamque repetentes, saniora sibi querunt consilia. Similiter et Angli suo cum principe sibi consulunt, et super hoc negotii Dei auxilium querunt, ut qui totiens armis sunt[b] devicti, saltem aliquo consilio remanerent[c] suffulti.

12. Iam etiam Edric, qui antea[d] a bello recessit profugus, ad dominum suum et ad socios rediit; et susceptus est, quia vir boni consilii fuit. Is surgens in medio agmine, omnes tali alloquutus est sermone: *Licet omnibus pene vobis sim invisus quia bello cessi, tamen si vestris sederet animis dictis parere mei consilii, victoriosiores effici meo consultu*[e] *possetis, quam*[f] *si totius terrae his viris resisteretis armis. Satis enim Danorum victorias expertus, frustra nos reniti omnino scio, et ob hoc me subtraxi a prelio, ut vobis postmodum prodessem consilio; non, ut vos estimatis, perculsus timore aliquo. Dum enim scirem necesse esse me fugere, quid satius fuit, aut vulneratum aut sanum recedere? Est proculdubio certa victo-*

a) perspicerunt 2. b) omnia 2. c) valerent remanere *edd.* d) cum 2. e) mei consilii 2. f) quoniam 2.

*ria, interdum ab fortiori hoste elabi fuga, cui nequit* 1016.
*resisti per arma. Omnes enim qui adsumus proh dolor fugimus; sed ne hic casus vobis eveniat ulterius, dextras Danis demus, ut ipsos foederatos habentes fugam periculumque bellorum sic saltem declinemus. Attamen hoc aliter nequit fieri nisi divisione regni nostri. Et melius esse iudico, ut medietatem regni rex noster cum pace habeat, quam totum pariter invitus amittat.*

13. Placuit sermo optimatibus, et licet invitus, hoc tamen annuit Aedmundus[a]; electisque internuntiis, premittit ad naves Cnutonis, qui dextras Danis dent et accipiant ab eis. Quos ubi primum Dani venientes intuentur, exploratores eos esse suspicantur. Sed postquam propius eos vident accedere, accersitis eis quidnam quaesierint orsi sunt rogitare. Discentes vero ab eis pro conficienda pace eos venire, letantes eos sistunt conspectibus regis; erant enim obnixe optantes prospera pacis, iam lassi bellorum et continuatione navigationis. Tunc missi, rege pacifice salutato: *Miserunt nos* inquiunt *ad te, o rex, princeps noster et procerum nostrorum multitudo, ut consentias eis de pace, et datis nobis dextris et obsidibus, a nobis itidem*[b] *recipias cum regni medietate. Dominare in australi*[c] *parte cum quiete, e regione autem sit noster Aedmundus in finibus meridianae plagae. Huius rei gratia ad te sumus legati; tu vero bene faciens placito consenti; alioquin licet simus semel et iterum a vobis bello deturbati, adhuc tamen maiori violentia roborabimur vobiscum bellaturi.* Quibus rex non temere respondit, sed ipsis amotis consilium a suis quaesivit, et sic eis postmodum pacifice consensit. Audierat enim a suis, quod multi suorum defecissent, nec erat qui locum morientium suppleret, cum longe remoti[d] a propria patria essent. Anglorum quoque quamquam perplurimi interficerentur,

a) Aemundus 1. b) interdum 2. c) boreali *edd.* d) tum *addit* 2.

1016. numerus eorum non adeo minuebatur, quia in propriis positi[a], semper qui morientis locum restauraret inveniebatur. Revocatis itaque internuntiis: *Vestris*, inquit rex, *o iuvenes, legationibus consentio, et uti dixistis media mihi libere*[b] *erit regio; sed tamen vectigal etiam suae partis vester rex, quicumque ille fuerit, exercitui dabit meo. Hoc enim illi debeo, ideoque aliter pactum non laudo.*

14. Foedere itaque firmato, obsides dantur ab utraque parte, et sic exercitus solutus bellorum inportunitate, optata letus potitur pace. Verumtamen Deus memor suae antiquae doctrinae, scilicet omne regnum in se ipsum divisum diu permanere non posse, non longo post tempore Aedmundum eduxit e corpore[17], Anglorum misertus imperii, ne forte si uterque superviveret, neuter regnaret secure, et regnum diatim adnihilaretur[c] renovata contentione.

Nov. 30. Defunctus autem regius iuvenis regio tumulatur sepulchro, defletus diu multumque a patriensi populo; cui Deus omne gaudium tribuat in celesti solio. Cuius rei gratia eum Deus iusserit obire, mox deinde patuit; quia universa regio ilico Cnutonem sibi regem elegit; et cui ante omni conamine restitit, tunc sponte sua se illi et omnia sua subdidit.

1017. 15. Ergo miseratione divina monarchiam regni Cnuto vir strenuus suscepit, et nobiliter duces et comites suos disposuit, et fine tenus deinceps regnum Anglorum pacifice tenuit. Erat autem adhuc primaeva aetate florens, sed tamen indicibili prudentia pollens. Unde contigit, ut eos quos antea Aedmundo sine dolo fideliter militare audierat diligeret, et eos quos subdolos scierat atque tempore belli in utraque parte fraudulenta tergiversatione pendentes odio haberet,

a) positis *edd.* b) libenter 2. c) adnihilatur *c.*

17) occisum scilicet, Cnutone saltem haud ignaro nec invito. Omnia haec brevissime tantum et velata veritate noster tradit.

adeo ut multos principum quadam die occidere pro huiusmodi dolo iuberet. Inter quos Edricus qui a[a] bello fugerat, cum praemia pro hoc ipso a rege postularet, acsi hoc pro eius victoria fecisset, rex subtristis[b]: *Qui dominum* inquit *tuum decepisti fraude, mihine poteris fidelis esse? Rependam tibi condigna praemia, sed ea ne deinceps tibi placeat fallatia.* Et Erico duce suo vocato: *Huic* ait *quod debemus persolvito; videlicet, ne nos decipiat, occidito.* Ille vero nil moratus bipennem extulit, eique ictu valido caput amputavit, ut hoc exemplo discant milites regibus suis esse fideles, non infideles. 1017.

16. Omnibus itaque rite dispositis, nil regi defuit absque nobilissima coniuge; quam ubique sibi iussit inquirere, ut inventam[c] hanc legaliter adquireret, et adeptam imperii sui consortem faceret. Igitur per regna et per urbes discurritur, et regalis sponsa perquiritur; sed longę lateque quaesita, vix tandem digna repperitur. Inventa est vero haec imperialis sponsa in confinitate Galliae et praecipue in Normandensi regione[d. 18], stirpe et opibus ditissima, set tamen pulchritudinis et prudentiae delectamine omnium eius temporum mulierum prudentissima, utpote regina famosa. Propter huiuscemodi insignia multum appetebatur a rege, et pro hoc precipue quod erat oriunda ex victrici gente, que sibi partem Gallie vendicaverat invitis[e] Francigenis et eorum principe. Quid multis immoror? Mittuntur proci ad dominam, mittuntur dona regalia, mittuntur et[f] verba precatoria. Sed abnegat illa, se unquam[g] Chnutonis sponsam fieri, nisi illi iusiurando affirmaret, quod nun- 18

a) ita *edd.*; et 2. b) substritus 2. c) *ita* 1; iuuentam *edd.* d) ne stirpe *usque* voluntas regis *exciderunt in* 1. *ubi in schedula inter quaterniones scripta fuisse videntur, dum* regio *in fine quaternionis,* et sic Deo gratias *et reliqua in sequenti atque alia manu scripta leguntur; adsunt in edd. et* 2. e) invictis 2. f) etiam *edd.* g) nunquam 2.

18) quo apud fratrem moratura abierat.

1017. quam alterius coniugis filium post se regnare faceret nisi eius, si forte illi Deus ex eo filium dedisset. Dicebatur enim ab alia quadam rex filios habuisse; unde illa suis prudenter providens, scivit ipsis sagaci animo profutura preordinare. Placuit ergo regi verbum virginis[19], et[a] iusiurando facto virgini placuit voluntas regis; et sic Deo gratias domina Emma mulierum nobilissima fit coniunx regis fortissimi Cnutonis. Letatur[b] Gallia, letatur etiam Anglorum patria, dum tantum decus transvehitur per aequora. Letatur, inquam, Gallia tantam tanto regi dignam se enixam; Anglorum vero letatur patria, talem se recepisse in oppida. O res millenis milies petita[c] votis, vixque tandem effecta auspicante gratia Salvatoris. Hoc erat quod utrobique vehementer iam dudum desideraverat exercitus, scilicet ut tanta tanto, digna etiam digno, maritali convinculata iugo, bellicos sedaret motus. Quid enim maius ac desiderabilius esse posset in votis, quam dampnosos ingratosque labores belli placida finiri tranquillitate pacis, cum pares paribus vi corporis virtuteque animi concurrerent, cumque nunc hi nunc vero illi alternante casu belli non sine magno detrimento sui vincerent?

Iul. 17. Verum ubi divina dispensatione multisque alterutrum diu habitis internuntiis maritali se tandem copula placuit confederari, difficile creditu est, quanta repente in utrisque alteri de altero exorta sit magnitudo gaudii. Gaudebat enim rex, nobilissimis insperato se usum thalamis; haec autem hinc praestantissima virtute coniugis; hinc etiam spe gratulabunda accendebatur futurae prolis. Ineffabiliter[d] quoque uterque gaudebat exercitus, opes suas communibus sperans augendas viribus, ut rei postmodum probavit exitus. Quam plures enim populi domiti

a) *deest* 2. b) letaetur 1. c) parata *edd.* d) Inaestimabiliter *edd.*

19) quae scilicet ex priore marito Ethelredo II. Aelfredum, Aedwardum et filias genuerat, sed viridis adhuc aetatis erat.

bello, gentesque complures longe distantes vita, moribus etiam et lingua, aeternaliter regi regiaeque posteritati[a] annua[b] compulsi sunt solvere vectigalia. Sed quid mirum, si tantus talisque rex repugnantes sibi dimicando devinceret? cum quam plurimos partim liberali largitione partim patrocinandi gratia imperio suo ultroneos submitteret? Profecto non mirum. Quoniam illic divina aspirat gratia, ubi iustitiae[c] probitatisque aequa libratur trutina. 1017.

18. Sed quid multis immoror? Gaudium magnum in coniugatione tantorum dixi fuisse; multo autem amplius dico, suscepta masculae prolis[d] oportunitate. Non multo post siquidem, Salvatoris annuente gratia, filium peperit nobilissima regina. Cuius cum uterque parens intima atque ut ita dicam singulari gauderet dilectione, alios vero liberales filios[20] educandos direxerunt Normanniae, istum hunc retinentes sibi, utpote futurum heredem regni. Itaque dilectissimum pignus, uti mos est catholicis, sacro abluerunt fonte baptismatis, imponuntque ei vocabulum quodammodo optinens indicium futurae virtutis. Vocatur siquidem Hardocnuto, nomen patris referens cum additamento. Cuius si ethimologia theutonice perquiratur, profecto quis quantusve fuerit dinoscitur. Harde quidem velox vel fortis, quod utrumque, multoque maius his, in eo uno cognosci potuit, quippe qui omnes sui temporis viros omnium virtutum praestantia anteivit. Omnes igitur eius virtutes enumerare nequeo; quapropter ne longius a proposito exorbitem, supra repetam historieque sequar ordinem.

19. Adulto denique puero de quo sermo agitur, pater adhuc in omni felicitate degens, omne regnum suae dicioni subiectum sacramento devinxit, eumque postmodum ad optinendam monarchiam regni Dano-

a) postestari *c.* b) Emma 2. c) ulstitiae *c.* d) proles *c.*

20) Aelfredum et Eduardum.

rum cum delectis militibus misit. Cum autem rex Cnuto solum inprimis Danorum optineret regimen, quinque regnorum, scilicet Danomarchiae, Angliae, Britanniae, Scothiae, Nordwegae vendicato dominio, imperator extitit. Amicus vero et familiaris factus est viris ecclesiasticis, adeo ut episcopis videretur coepiscopus pro exibitione totius religionis, monachis quoque non secularis, sed coenobialis pro continentia humillimae devotionis. Defensabat sedulo pupillos et viduas, sustentabat orphanos et advenas, leges oppressit iniquas earumque sequaces, iustitiam et equitatem extulit et coluit, ecclesias extruxit et honoravit, sacerdotes et clerum dignitatibus ampliavit,
21 pacem et unanimitatem omnibus suis indixit[21], ut de eo illud Maronicum[22] dici posset, nisi extra catholicam fidem hoc fuisset:

*Nocte pluit tota, redeunt spectacula mane;*
*Divisum imperium cum Iove Cesar habes*[a].

20. Deo omnimodis[b] placita studuit, ideoque quicquid boni agendum esse didicerat; non negligentiae sed operationi committebat. Quae enim ecclesia adhuc eius non letatur donis[c]? Sed ut sileam quae in suo regno positis egerit, huius animam cotidie benedicit Italia, bonis perfrui deposcit Gallia, et magis omnibus hunc in coelo cum Christo gaudere orat Flandria. Has enim provintias transiens,
1026. Romam petiit; et ut multis liquet, tanta hoc in itinere misericordiarum opera exibuit, ut si quis haec describere omnia voluerit, licet innumerabilia ex his fecerit volumina, tandem deficiens fatebitur, se vix etiam cucurrisse per minima. Nam quid singulis in locis fecerit sileo; verumtamen ut credibiliora fiant quae assero, quid in una urbe Sancti Audomari fece-

a) habet *edd.* b) omnibus modis *edd.* c) bonis *edd.*

21) cf. Thietmari Merseburgensis dictum lib. 8. cap. 5. SS. T. III. p. 863. 22) in Donati vita Virgilii apud Burmannum pag. IX.

rit dicam pro exemplo, quod etiam oculis meis me vidisse recordor. 1026.

Ingressus monasteria et susceptus cum magna honorificencia, humiliter incedebat, et mira cum reverentia, in terram defixus lumina, et ubertim fundens lacrimarum ut ita dicam flumina, tota intentione sanctorum expetiit suffragia. At ubi ad hoc perventum est, ut oblationibus regiis sacra vellet cumulare altaria: ô[a] quotiens primum pavimento lacrimosa infixit oscula, quotiens illud pectus venerabile propria puniebant verbera, qualia dabat suspiria, quotiens precabatur ut sibi non indignaretur superna clementia! Tandem a suis ei innuenti[b] sua porrigebatur oblatio, non mediocris, nec quae aliquo clauderetur in marsupio, sed ingens allata est palleati[23] extento in gremio, quam ipse rex suis manibus altari imposuit, largitor hilaris monitu apostolico. Altari autem cur dico, cum vidisse me meminerim, eum omnes angulos monasteriorum circuisse, nullumque altare licet exiguum preterisse, cui non munera daret et dulcia oscula infigeret? Deinde adsunt pauperes, munerantur etiam ipsi protinus singulatim omnes. Haec et alia his mirificentiora a domno Cnutone gesta vidi ego, vester vernula, sancte Audomare, sancte Bertine, cum fierent vestris in coenobiis; pro quibus bonis tantum regem impetrate vivere in caelestibus habitaculis, ut vestri famuli canonici et monachi sunt orantes orationibus cotidianis.

21. Discant igitur reges et principes huius domini imitari acciones, qui ut valeret scandere sublimia, sese humiliavit in infima; et ut posset adipisci caelestia, hilariter largitus est terrestria. Non enim fuerat oblitus propriae conditionis modum[c],

a) ohe *edd.* b) *ita* 1. *bene;* imminenti *edd.;* immerenti *conicit Ch.*
c) *excidit in editis.*

23) viri pallio induti.

1026. quod moriturus erat in mundo et relicturus quaeque possunt concupisci in seculo; et ob hoc divicias quas secum nequivit moriens auferre, vivens Deo et sanctis eius locis partitus est honorifice: ne forte si avariciae studeret, omnibus invisus viveret, nullusque esset qui eius animae aliquid boni oraret, et alius ei succederet, qui in eius regno largus viveret et de eius parcitate indignaretur. Verum hoc ne fieret satis cavit, et suis posteris bonum exemplum largitatis totiusque bonitatis reliquit; quod et ipsi adhuc Deo gratias, servant, optime pollentes in regni moderamine et in virtutum decore.

1027. 22. Tantus itaque rex postquam Roma est reversus[24], et in proprio regno[a] aliquantisper demoratus, omnibus bene dispositis transiit ad Dominum, coronandus in parte dextera ab ipso Domino auctore omnium. Turbabantur itaque eius obitu omnes qui audierant, maximeque qui eius solio deservierant, quorum maxima pars cuperet ei commori, si hoc non[b] displiceret divinae dispositioni.

1035. Nov. 11.

23. Lugebat domina Emma eius regina cum patriensibus, ululabant pauperes cum potentibus, flebant episcopi et clerici cum monachis et sanctimonialibus; sed quantum lugebatur in mundo, tantum laetetur in caeli palatio. Isti flebant hoc quod perdiderant, illi gratulentur de eius anima quam suscipiant. Isti sepelierunt corpus exanime, illi spiritum deducant in sublime, letandum in aeterna requie. Pro eius transitu soli flebant terreni, sed pro eius spiritu interveniant cum terrenis etiam cives caelici. Ut eius gloria crescat cotidie, oremus Deum intente; et quia hoc promeruit sua bonitate, cotidie clamemus: *Anima Cnutonis requiescat in pace. Amen*[c].

EXPLICIT LIBER SECUNDUS.

a) *deest in edilis.* b) *deest in edd.* c) *hinc spatio interiecto, scriba pergit; inscriptiones omissas supplevi.*

24) 1027. Mart. 26. coronationi Chuonradi II. interfuit. Wipo c. 16.

## INCIPIT LIBER TERTIUS.

1. Mortuo Cnutone rege honorificeque sepulto in monasterio in honore sancti Petri constructo Wintoniae[a], domina regina Emma sola remansit in regno, dolens de domini sui morte amara, et sollicita pro filiorum absentia. Namque unus eorum Hardecnuto scilicet, quem pater regem Danorum constituit, suo morabatur in regno; duo vero alii in Normanniae finibus ad nutriendum traditi, cum propinquo suo degebant Rotberto[25]. Unde factum est, ut quidam Anglorum pietatem regis sui iam defuncti obliti, mallent regnum suum dedecorare quam ornare, relinquentes nobiles filios insignis reginae Emmae, et eligentes sibi in regem quendam Haroldum, quem[b] esse filium falsa aestimatione asseritur cuiusdam eiusdem regis Cnutonis concubinae; plurimorum vero assertio eundem Haroldum perhibet furtim fuisse subreptum parturienti ancillae, inpositum autem camerae languentis concubinae. Quod veratius credi potest. Qui electus metuensque futuri, advocat mox archiepiscopum[26] Aelnotum, virum omni virtute et sapientia preditum, imperatque et orat se benedici in regem, sibique tradi cum corona regale suae custodiae commissum sceptrum, et se duci ab eodem, quia ab alio non fas fuerat, in sublime regni solium. Abnegat archiepiscopus, sub iureiurando asserens, se neminem alium in regem, filiis reginae Emmae viventibus, laudare vel benedicere: *Hos meae fidei Cnuto commisit; his fidem debeo, et his fidelitatem servabo. Sceptrum, coronam sacro altari impono, et hoc tibi nec denego nec trado; sed episcopis omnibus, ne quis eorum ea tollat tibive tradat teve benedicat, apostolica autoritate interdico; tu vero, si presumis, quod Deo mensaeque eius commisi, in-*

a) *locus erasus* 1; Wyntonie 2; *deest in edd.* b) qui *edd.*

25) Normanniae duce. 26) Cantuariensem.

*vadito!* Quid miser ageret, quo se verteret, ignorabat. Intentabat minas, et nihil profecit; spondebat[a] munera, et nil lucratus doluit; quoniam vir apostolicus nec valebat minis deici nec muneribus flecti. Tandem desperatus abcessit, et episcopalem benedictionem adeo sprevit, ut non solum ipsam odiret benedictionem, verum etiam universam fugeret christianitatis religionem. Namque dum alii aecclesiam christiano more missam audire subintrarent, ipse aut saltus canibus ad venandum cinxit, aut quibuslibet aliis vilissimis rebus sese occupavit, ut tantum declinare posset quod odivit. Quod Angli videntes dolebant; sed quia hunc sibi regem elegerant, hunc erubuerunt deicere; ideoque disposuerunt hunc sibi regem finetenus esse.

2. Domina autem regina Emma tacite exitum rei exspectabat, et aliquantisper sollicita auxilium Dei cotidie exorabat. At ille clam, quia nondum palam audebat, reginae insidias moliebatur; sed ut illi noceret, a nemine permittebatur. Unde ille cum suis maligno[b] excogitato consilio, natos dominae suae volebat interficere, ut sic securus deinceps in peccatis vivens posset regnare. Verumtamen nullum in hoc omnimodis effectum acciperet, nisi fraudulentorum dolo adiutus, hoc quod narrabimus adinveniret. Namque dolo reperto, fecit epistolam in persona reginae ad filios eiusdem, qui in Nordmannia morabantur[c], componere, cuius etiam exemplar non piget nobis subnectere:

3. *Emma tantum nomine regina, filiis Aeduardo et Alfrido materna impertit salutamina. Dum domini nostri regis obitum separatim plangimus, filii karissimi, dumque diatim*[d] *magis magisque regno hereditatis vestrae privamini, miror quid captetis consilii, dum sciatis intermissionis vestrae dilatione invasoris*

a) Expendebat *edd.* b) iniquo 2. *edd.* c) morabamur 2. d) diactim *corr.*

*vestri imperii fieri cotidie soliditatem. Is enim incessanter vicos et urbes circuit, et sibi amicos principes muneribus minis et precibus facit; sed unum e vobis super se mallent regnare, quam istius qui nunc*[a] *eis imperat teneri ditione. Unde, rogo, unus vestrum ad me velociter*[b] *et private veniat, ut salubre a me consilium accipiat, et sciat quo pacto hoc negotium, quod volo, fieri debeat. Per presentem quoque internuntium, quid super his facturi estis, remandate. Valete, cordis mei viscera.*

4. Hac fraude iussu Haroldi tyranni composita, regiis adulescentulis est directa per pellaces[27] cursores, eisque ex parte matris ignarae oblata, et honorifice ab eis, ut munus[c] genitricis, suscepta. Legunt dolos eius[d] nescii, et proh dolor[e] nimis falsitati creduli inconsulte remandant genitrici, unum eorum ad eam esse venturum, constituuntque ei diem et tempus et locum. Regressi[f] itaque legatarii, intimant Dei inimicis quae sibi responsa reddita sint a iuvenibus nobilissimis. Hinc illi prestolabantur eius adventum, et quid de eo facerent ad suum invenerunt detrimentum. Statuto ergo die Alfridus, minor natu, laudante fratre elegit sibi commilitones, et arripiens iter, Flandriae venit in fines; quo paululum cum marchione Balduino moratus, et ab eo rogatus ut aliquam partem suae militiae secum duceret propter insidias hostium, noluit; sed tantum Bononiensium paucos assumpsit, et ascensis puppibus mare transfretavit. At ubi litori venit contiguus, mox ab adversariis est agnitus. Qui occurrentes volebant eum adgredi, sed statim ille agnoscens, iussit naves a litore illo repelli. Alia autem ascendens in statione, matrem parabat adire, estimans se omnem insidiarum pestem evasisse. Verum[g]

a) non *edd.* b) foeliciter 2. c) minus 2. d) eiu *edd.* e) pudor 2. f) Regresi 1. g) *vox quaedam erasa.*

27) i. e. fallaces.

ubi iam erat proximus, illi comes Goduinus est obvius factus, et eum in sua suscepit fide, eiusque fit mox miles cum sacramenti affirmatione. Et devians
28 eum a Londonia, induxit eum in villa Geldefordia[a.28] nuncupata, inibique milites eius vicenos et duodenos decenosque singula duxit per hospicia, paucis relictis cum iuvene, qui eius servitio deberent insistere. Et largitus est eis habundanter cibaria et pocula, et ipse ad sua recessit hospicia, mane rediturus, ut domino suo serviret cum debita honorificentia.

5. Sed postquam manducaverant et biberant, et lectos, utpote fessi, libenter ascenderant, ecce complices Haroldi infandissimi tiranni adsunt, et singula hospicia invadunt, arma innocentum virorum furtim tollunt et eos manicis ferreis et compedibus artant, et ut crucientur in crastinum servant. Mane autem facto adducuntur insontes in medio, et non auditi dampnantur scelerose. Nam omnium exarmatis vinctisque post tergum manibus atrocissimis traditi sunt carnificibus, quibus etiam iussum, ut nemini parcerent nisi quem sors decima offerret. Tunc tortores vinctos ordinatim sedere fecerunt, satis supraque eis insultantes, illius interfectoris Thebeae legionis exemplo usi sunt, qui decimavit primum innocentes multo his mitius. Ille enim rex paganissimus christianorum novem pepercit, occiso decimo; at hi profanissimi falsissimique christiani bonorum christianorum novem perimerunt, decimo dimisso. Ille licet paganus christianos trucidaret, patulo tamen in campo eos nexibus non inretitos decollari iussit, ut gloriosos milites. At isti licet nomine christiani, actu tamen paganissimi, lanceolarum suarum ictibus non merentes heroas catenatos mactabant ut sues. Unde huiusscemodi tortores cani-

a) *vox alio atramento inserta* 1. Gildefordia *edd.* 2.

28) Guilford in Sussex.

bus deteriores digne omnia dicunt secula, qui non miliciae violentia sed fraudium suarum insidiis tot militum honesta dampnaverunt corpora. Quosdam ut dictum est perimebant, quosdam vero suae servituti mancipabant; alios ceca cupidine capti vendebant, nonnullos autem artatos vinculis maiori inrisioni reservabant. Sed divina miseratio non defuit innocentibus in tanto discrimine consistentibus, quia multos ipsi vidimus quos ex illa derisione eripuit caelitus sine amminiculo hominis ruptis manicarum compedumque obicibus.

6. Ergo quia militum agones succintim transcurrimus, superest ut et eorum principis, gloriosi scilicet Alfridi, martyrium narrando, seriem locutionis adbreviemus, ne forte si singulatim omnia quae ei acta sunt perstringere voluerimus, multis tibique precipue dominae reginae dolorem multiplicemus. Qua in re rogo te, domina, ne requiras amplius quam hoc, quod tibi parcendo breviter dicturi simus. Possent enim multa dici, si non tuo parceremus dolori. Est quippe nullus dolor maior matri, quam videre vel audire mortem dilectissimi filii. Captus est igitur regius iuvenis clam suo in hospicio, eductusque in insula Heli dicta[29], a milite primum inrisus est iniquissimo. Deinde contemptibiliores eliguntur, ut horum ab insania flendus iuvenis diiudicetur. Qui iudices constituti decreverunt, illi debere oculi utrique[a] ad contemptum primum erui. Quod postquam parant perficere, duo illi super brachia ponuntur, qui interim tenerent illa, et unus super pectus unusque super crura, ut sic facilius illi inferretur poena. Quid hoc in dolore detineor? Mihi ipsi scribenti tremit calamus, dum horreo quae iuvenis passus est beatissimus. Evadam ergo brevius tantae calamitatis miseriam, finemque huius mar-

a) oculos utrosque 2.

29) Ely.

tyrii finetenus perstringam. Namque est ab inpiis tentus, effossis etiam luminibus inpiissime est occisus. Qua nece perfecta, relinquunt[a] corpus exanime, quod fideles Christi, monachi scilicet eiusdem insulae Heli, rapientes sepelierunt honorifice. In loco autem sepulcri eius multa fiunt miracula, ut quidam aiunt, qui etiam se haec vidisse saepissime dicunt. Et merito. Innocenter enim fuit martyrizatus, ideoque dignum est ut per eum innocencium exerceatur virtus. Gaudeat igitur Emma regina de tanto intercessore, quia quem quondam in terris habuit filium, nunc habet in caelis patronum.

7. At[b] regina tanti sceleris novitate perculsa, quid facto opus sit mente considerat tacita. Animus igitur eius diversus huc illucque rapitur, et se amplius tantae perfidiae credere cunctatur, quippe quae peremptí filii inconsolabiliter confundebatur merore, verum multo amplius ex eiusdem consolabatur certa requie. Hinc duplici, ut diximus, angebatur causa, necis videlicet filii miserabili mestitia, tum vero reliquae suae vitae dignitatisque diffidentia. Sed fortassis hic mihi quilibet clamabit, quem livor huiusce dominae lividum onerosumque reddit, cur eadem nece mori refutabat, quae sub hac proditione necatum filium aeterna requie frui nullatenus dubitabat? Ad quod destruendum tali responsione censeo utendum, quoniam si persecutor christianae religionis fideique adesset, non vitae discrimen subire fugeret. Ceterum nefarium et execrabile cunctis ortodoxis videretur, si ambitione terreni imperii talis famae matrona vita privaretur, neque profecto emori, fortunis tantae dominae honestus exitus haberetur. Haec et his similia ante oculos ponens, et illud autenti-

a) relinqunt 1. b) Regina vero tanti sceleris novitate perculsus atque doloris telo saucia, cum fidis proceribus mentis archana communicat atque cum iisdem clam navigat et stationi haud longe, *mediis omissis* 2.

cum dominicae exortationis preceptum[30] suis fortu- 30
nis conducibile censens, quo videlicet electis insinuat *quoniam si persequuti vos fuerint in una civitate, fugite in aliam,* pro suo casu spes satis honestas reliquae dignitatis conservandae exequitur, et tandem gratia superni respectus consilio sollerti utitur. Exteras nationes petere sibi utile credit, quod sagaci ratione finetenus perducit. Tamen quas petit non externas sibi experta est fore, quîs immorans haud secus ac suis colitur decentissime. Igitur 1037.
pro re atque tempore quam plurimos potest sibi fidos optimates congregat. His presentibus secreta cordis sui enucleat. A quibus etiam inito dominae probato consilio, commeatus classium eorum apparatur exilio. Itaque prosperis usi flatibus transfretant, et cuidam stationi haud longe[a] a castello Bruggensi[31] distanti sese applicant. Hoc castellum Flandrensibus colonis incolitur, quod tum frequentia negotiatorum tum affluentia omnium quae prima mortales ducunt famosissimum habetur. Hic equidem a marchione eiusdem provintiae Balduino, magni et invictissimi principis filio, eiusque coniuge Athala, quae interpretatur nobilissima, Francorum regis Rodberti et reginae Constantiae filia, honorifice, uti se dignum erat, recipitur. A quibus etiam in predicto oppido domus regali sumptui apta eidem reginae tribuitur, ceterum obsonium benigne offertur. Quae partim illa cum maxima gratiarum actione suscipit, partimque sese non indigere[b] quodammodo ostendit.

8. In tanta igitur posita securitate, legatos suo filio mittit Eduardo postulatum, ne versus se pigritaretur venire. Quibus ille obaudiens, equum conscendit et ad matrem usque pervenit. Sed ubi eis copia data est mutuo loquendi, filius se matris fortu-

a) *cf. p.* 523, *not.* c. b) indigern *c.*

30) Matth. 10, 23. 31) Brügge.

nas edocet miserari, sed nullo modo posse auxiliari, cum Anglici optimates nullum ei fecerint iusiurandum, quae res indicabat, a fratre auxilium expectandum[a]. His ita gestis Eduardus Normanniam revertitur[b], et mens reginae quid sibi foret agendum etiam nunc cunctatur. Post cuius reditum nuntios Hardecnutoni filio suo legat, qui tunc temporis regimen Danorum optinebat; per quos sui doloris novitatem aperit, et ut ad se[c] quantotius venire maturet petit. Cuius aures ut tanti sceleris horror incussit, primo omnium mens eius intolerabili obtusa dolore in consulendo fatiscit. Ardebat enim animo fratris iniurias ultum ire, immo etiam matris legationi parere.

9. Hinc utrique rei previdens, quam maximas potest navium militumque parat copias[d], quorum ampliorem numerum quodam maris in amfractu collocat, qui, si inter eundum sibi copia pugnandi seu etiam necessitas repugnandi accideret, presidio adventaret. Ceterum non amplius decem navibus se comitantibus ad matrem proficiscitur, quae non
1039. minima doloris anxietate fatigabatur. Dum igitur prospero cursui intenti, non modo certatim spumas salis aere ruebant, verum etiam suppara velorum secundis flatibus attollebant, ut maris facies non umquam certa sed semper mobilitate flatuum dubitanda habetur et infida, repente faeda tempestas ventorum nubiumque a tergo glomeratur et ponti superficies iam supervenientibus[e] austris turbabatur[f]. Itaque quod in tam atroci negotio solet fieri, anchorae de proris iactae harenis affiguntur fundi. Quae res tametsi tum illis fuerit inportuna, tamen non absque Dei nutu cuncta disponentis esse creditur acta, ut postmodum rei probavit eventus; membris omnium placidae quieti et somno[g] cedentibus. Nam postera

a) expetendum 2. *L.* b) revehitur *Ch.* 2. c) se venire q. v. 1. d) *deest* 1. e) superuentibus 1. f) turbatur *edd.* g) somni 1; q. somni *edd.*

nocte eodem Hardecnutone in stratu quiescente, 1039.
divinitus quaedam ostenditur visio, quae eum confortans et consolans forti iubet esse animo. Hortatur preterea ne ab incepto desisteret, quia paucorum dierum intervallo iniustus regni invasor Haroldus scilicet occideret, et regnum patriis viribus domitum sibi iusto heredi iustissima successione incolume rediret.

10. Evigilans igitur somniator talibus inditiis certior fit, et Deo omnipotenti tantae consolationis causa gratias reddidit[a] simulque futura nullatenus dubitat, quae sibi memorata visio predixerat. Denique maris ira pacata omnique tempestate sedata, prosperis flatibus sinus pandit velorum; sicque secundo usus cursu, ad Brugensem sese applicuit portum. Hic anchoris rudibusque navibus affixis et nautis qui eas servarent expeditis, recta se via cum delectis ad hospicium dirigit matris. Qualis ergo meror qualisque letitia in eius adventu fuerit exorta, nulla tibi umquam explicabit pagina. Dolor haud modicus habebatur, dum in vultu eius faciem peremptі[b] mater quadam imaginatione contemplaretur; item gaudio magno gaudebat, dum superstitem salvum adesse sibi videbat. Unde viscera divinae misericordiae se sciebat respicere, cum nondum tali frustraretur solamine. Nec longe post filio cum matre morante et memoratae visionis promissa expectante, nuntii leta ferentes nuntia adventant, qui videlicet Haroldum mortuum nuntiant[32], qui etiam referunt, Mart.
Anglicos ei principes nolle adversari, sed multimo- 17.
dis iubilationibus sibi conletari; unde regnum hereditario iure sibi debitum non dedignetur repetere et suae dignitati eorumque saluti iuxta in medium consulere.

a) emensoque mari ad matrem pervenit eidemque visum exponit. Nec longe post nuncii leta *mediis omissis* 2. b) fratris *addit* 2.

32) cf. Adami Bremensis l. II. c. 72. pag. 332.

1039. 11. His Hardecnuto materque animati, repetere statuunt horas aviti regni. Cuius rei fama ut populares impulit aures, mox cuncta dolore et luctu compleri cerneres. Dolebant enim divites eius recessione, cuius semper amabili fruebantur conlocutione, dolebant pauperes eius recessione, cuius diutinis largitionibus ab egestatis defensabantur onere; dolebant viduae cum orphanis, quos illa extractos sacro fonte baptismatis non modicis ditaverat. Quibus igitur hanc laudibus efferam nescio, quae ibidem numquam abfuit renascentibus in Christo. Hic eius fides patet laudanda, hic bonitas omnimodo celebranda. Quod si pro singulis eius benefactis parem disserere, prius me tempus quam rem credo deserere. Unde ad seriem nostrae locutionis propero redire.

12. Dum reginae filiique eius reditus apparatur, omne litus planctu gemituque confunditur, omnes dextrae caelo attollebantur infensae. Flebant igitur, a se discedere illam, quam toto exilii tempore ut civem videre suam. Nulli divitum gravis hospita, nulli pauperum in quolibet onerosa. Omnes igitur natale solum mutare putares, cunctas secum exteras petere velle diceres regiones. Sic toto plangebatur litore, sic ab omni plorabatur populo astante. Licet ei quodammodo congauderent pristinum gradum repetere dignitatis, non tamen eam matronae siccis dimittere poterant oculis. Tandem vincit amor patriae; et omnibus viritim osculatis et flebili eis dicto vale, cum filio suisque altum petit mare non absque magna lacrimarum utrimque fusa ubertate.

13. Igitur principes Anglici parum premissae[a] fidentes legationi, antequam ab illis transfretaretur obvii sunt facti, optimum factum rati ut et regi reginaeque satisfacerent, et se devotos eorum dominationi subderent. His Hardecnuto cum matre certior

a) praevenisse *edd.*

factus et transmarini litoris[a] tandem portum nactus, 1040.
a cunctis incolis eiusdem terrae gloriosissime recipitur; sicque divini muneris gratia regnum sibi debitum redditur. His ita peractis et omnibus suis in pacis tranquillitate compositis, fraterno conreptus amore nuntios mittit ad Eduardum, rogans ut veniens secum optineret regnum.

14. Qui fratris iussioni obaudiens, Anglicas par- 1041.
tes advehitur, et mater amboque filii regni paratis commodis nulla lite intercedente utuntur. Hic fides habetur regni sotiis, hic inviolabile viget foedus materni fraternique amoris. Haec illis omnia prestitit, qui unanimes in domo habitare facit, Iesus Christus dominus omnium, cui in Trinitate manenti inmarcessibile floret imperium. Amen.

*Editio altera.*

*His itaque fratribus concorditer regnantibus, mors media intercidit, et regem Hardechnutonem vitalibus auris abstulit. Re-* 1042.
*gem mater et frater ma-* lun. 8.
*ximo cum luctu honorifice sepeliunt. Mortuo Ardechnutone, in regnum successit Edwardus, heres scilicet legittimus, vir virium eminentia conspicuus, virtute animi consiliique atque ingenii vivacitate preditus, et ut omnia breviter concludam, omnium expetendorum summa insignitus*[33].

a) *ter quaterve* littus *duplici* t *scriptum habetur et* coelum *littera* o. 1.

33) Emma ab Eduardo filio pessime habita Hardechnutum decennio supervixit; obiit siquidem die 6. Martii anno 1052.